

seu gradus Zodiaci conficiunt vnum $\delta\omega\delta\epsilon\kappa\alpha\tau\eta\mu\acute{o}\sigma\iota\omicron\upsilon$ vel signum & 24. horæ vnum diem, & si qua sunt his similia. Tametsi hanc coagmentationis dissimilitudinem seu analogiæ turbationem per se non admittunt nec multiplicatio, nec diuisio, nec radicum extractio, Vt suo loco patebit. Habet autem vñum hæc logistica pars præcipue in colligendis seu constituendis $\epsilon\pi\omicron\chi\acute{\alpha}\iota\varsigma$ æqualium seu $\epsilon\pi\omicron\chi\acute{\omega}\nu$, item in multiplicatione, denique in condendis seu propagandis canonibus æqualium motuum,

$\pi\alpha\rho\acute{\alpha}\delta\epsilon\iota\gamma\mu\alpha$ constituendi epochen æqualis motus \odot . simplicis ad annum Domini 1490. diem 7. Maij. horis duabus ante meridiem, quod est tempus natale Illustrissimi Principis ac Domini Dn. Alberti Marchionis Brandenburgensis Ducis Borussiae etc.

*Vsus additio-
nis.*

*Supputatio
medij seu
æqualis mo-
tus.*

	Sex. gra.	I	II	III	IIII
Est autem epocha seu radix annorum CHRISTI	4 32	29	51	32	55
Inde æqualis motus annorum 1400	5 50	45	11		
Et annorum 80	5 59	28	18		
Et annorum deniq; 9 plenorum	5 59	41	39		
Et ab initio 90. anni ad finem Aprilis	1 58	16	23		
Et 16 dierum plenorum, Maij scilicet	0 15	46	11	32	55
Et postremo horarum 10. vt à media nocte præcedenti	0 0	24	38		
Omnia hæc coniecta in vnam summam faciunt	0 36	52	11		

Abiectæ autem sunt 24. sexagenæ, id est quater sex sexagenæ tanquam quatuor integri circuli, Vt postulat calculus astronomicus. Nam in coelestium motuum computationibus non illud proprie queritur, quoties stella aliqua zodiaci orbitam à condito mundo, vel à diluuiio, vel ab alio quocunq; initio perlustrauerit. Sed quantum distet à certo quodam puncto, vt à verno æquinoctio, vel à prima stella Υ . hoc aut illo momento temporis quod proponitur.

Sed si placet condere vel propagare Canonem æqualis motus, verbi gratia, diurni simplicis \odot , præscribe tibi tanquam fundamentum, æqualem motum diurnum simplicem \odot , qui est 0 gra. 59 1^a, 8 2^a, 14 3^a, 22 4^a, 16 5^a, 11 6^a, 15 7^a. Cui in extremo margine sinistro adscribe notam vnitatis, sub qua descendendo porro scribe seriem numerorum, quousque progredi visum fuerit. Inde motum hunc diurnum sibi ipsi semel adde & habebis motum bidui

*DE COMPO-
sitione cano-
num mediij
motus.*